

Biga dissertationum de morbis epidemicis : quorum alius propè Valencinas anno 1803 : alius propè Bruxellas regnavit anno 1806 / authore J.C. Jacobs.

Contributors

Jacobs, Jean Corneille, 1759-1826.
Francis A. Countway Library of Medicine

Publication/Creation

Bruxellis : E Typographiâ G. Huyghe, 1807.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xs7ncsvv>


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



11. A. 179



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

B I G A
DISSERTATIONUM
DE MORBIS EPIDEMICIS,

QUORUM ALIUS PROPÈ VALENCINAS ANNO 1803,

ALIUS PROPÈ BRUXELLAS REGNAVIT ANNO 1806.

AUTHORE J. C. JACOBS,

*Medicinæ licentiato, Societatis Medicinæ,
Chirurgiæ, Pharmaciæ Bruxellensis præ-
side. Societatis Medicæ Parisiensis Socio
Nationali. Athenæi Gersiani, Collegii
Medicorum Hagensium sodali. Societatis
Scientiarum Physicarum ac Medicarum
Leodiensis correspondente. Societatis Phy-
sicæ experimentalis Almeriensis. Medicinæ,
Chirurgiæ, Pharmaciæ Tolosensis: Medicæ
Turonensis: Medicinæ practicæ Montspe-
liensis, etc. Membro.*



BRUXELLIS,
E Typographiâ G. HUYGHE.

1807.

B I G A
D I S S E R T A T I O N U M
D E M O R B I S E P I D E M I C I S

GOORUM ALIUS PROPE VALLENCIENS ANNO 1802,
ALIIUS PROPE BRUXELLAS REGNAVIT ANNO 1802.

AUTHOR N. COSS. 9671

Author non agnoscit hujus primæ
editionis ulla exemplaria legitima, præter
ea, quæ propriâ manu sùbscripsit.

J. O. Jacobs

BRUXELLAS,
E Typographia G. Huychæ.

DISSERTATIO

DE

MORBO EPIDEMICO,

*Qui Fodinæ Carbonis Mineralis, prope
Valencinas, opifices aggressus est cur-
rente æstate anni 1803.*

Effodiuntur opes, irritamenta malorum

Dum sævos morbos, horrendaque crimina gignunt.

IN diario Societatis Medicæ Parisiensis mensis Vendemiarii anni decimi tertii de ægritudine agitur, quæ numquam, nisi penultimâ æstate fossorès affecit, eosque non universim omnes qui per totam fodinam dispersi laborant : reliquis enim pepercit, dum unam solam fractionem, quæ simul laborat, invasit.

Hæc, et non sine ratione mira visa sunt :
 eccur enim una sola pars determinata affligitur, dum cæteræ incolumes solitis funguntur laboribus.

Quæresne in aëre rationem? At qui omnibus communis, ad æqualem profunditatem, cum æquabili libertate circulatur, indolis ubique ejusdem, omnes æqualiter defendat offendatve necesse est.

In ciborum natura originem fortasse rimaberis?

Verum hi cunctis æquè mediocres, æquè simplices, nullâ aut nominali solum culinâ præparati, æqualiter prodesse vel obesse debent. Causa communis ea non est, quæ effectus producit particulares.

Phænomine explanationem scissitaberis in operis diversitate, aut discorde naturâ?
 At quod uniuscujusque humeris, propè valencinas fuerit, propè caroloregium, alicubive, æquè durum incumbit, compri-
 mendo alios, alios non alleviabit.

Difficultatemne perimere tentabis per diversa diversorum ad morbos diversos seminia?

Verum hæc concipienda quidem, nullatenus supponenda veniunt, quocumque

rationis fulcimento lubricè destituta : promiscuè enim inter se ipsos confusi , senioribus , juvenibus , mediæ ætatis immixti et vice versâ hic laborant , ut alibi .

Tam obscura est hujus morbi scaturigo ut nullibi dubiorum exitum invenias , nullibi , quod quæris reperias , nullibi certitudinis apicem attingere detur , dum quo te cumque vertis , in nodum impingis insolutum ne dicam insolubilem .

Verum enim vero potus consideratio , inquires , quo incautè usi sunt hic floccifacienda non venit ? Detur ita : quare igitur ante id determinatum temporis intervallum ; etiamque alios eo utentes nunquam inquinavit , infêcit , interêmît ?

Hisce præmissis detur itaque properare ad morbum ipsum , cujus naturam ex symptomatibus , non secùs ac causam ex effectibus , eruere fortasse dabitur ei , qui sedulo perscrutatur .

Sunt autem hæc , qualia a valencinensibus medicis Societati e Scholâ medicâ Parisiensi communicata sunt ut sequitur .

Statim ab initio colica violenta , dolores viscerum et stomachi , respirationis difficultas palpitationi nupta , virium pros-

tratio; abdominis inflatio flatulenta, dejectiones alvinæ nigrae veridesque : hoc quod per decem, duodecim pluresve dies durat, est primum morbi stadium; cui succedit dolorum remissio, pulsû manente parvo, debili accelerato, color faciei et habitus in flavum vergens, incessus difficilis cum lassitudine summâ, palpitationum aucta frequentia, quæ ægrum summopere angit, facies inflata, sudores frequentes et ut ita dicam sine interruptione continui. Stadium hoc secundum per menses et quidem ultra annum durat cui aliud succedit, quod mortis est.

Hæc in latebris lumen affundunt, quo tenebris expediri, adque claritatis altitudinem evehi sperare nefas fortasse non fuerit : ita quidem dum primum sive invasionis stadium attentâ mente pervolvo atque perscrutor; nihil mihi videtur minus obscurum, quam quod, dum hæc peraguntur, violentissima canalis cibarii irritatio locum habeat, quæ nervos sensibilissimarum harum partium dolorifice vellicat: quid enim quæso illud est quod dolorem generatim spectatum producere potens est? Mea opinione id omne quod cerebri,

medullæve spinalis propagines irritare vel distrahere capax est : verum non hoc : ante abdominis enim inflationem , colici vexabant dolores : ergo illud , irritatio videlicet exoticâ.

Ad meteorismum , respirationis difficultatem , cordis palpitationes et quæ inde sequuntur aut sequi possunt infinita, ut *secundaria* animum non adverte *symptomata*.

Jam vero , quæ dicta est , irritatio non aliam quam ex sensu irritabilitate immodicâ , stimulo majore , utrisve nuptis scaturiginem habere valet : quis vero nunc sanæ theoriæ compos supponat prius , dum id genus hominum moralem æquè ac physicam constitutionem summoperè induratam nactum est : quare nihil magis superest quam ut stimulus eo major , quò sensibilitas minor , obtineat violentior , quo positum vehementem intestinorum dolorem producere potis est.

Stimulum hunc , de quo quæstio , nulli nisi in potu invenire valeo , eumque in eo abunde capesso. Potus hic aqua est , quæ ex fodinæ rimis limpidissima stillat , quæque sub amicâ facie animum recondit quam maximè inimicum : certum

enim est ita, ut nullus dubio locus superesse possit, undam hanc acerrimam, tantâ vi irratante, ne dicam corrosivâ pollère, ut palmarum quidem epidermidem, aliaque aliarum etiam partium, quæ nuda tangere datur, integumenta, durissimis indurata laboribus, in vesicas elevet: aquam hanc stygiam, teste Diario societatis medicæ Parisiensis, sui suorumque incûrii rudestres bibère imprudenter, in prohibitionem severam stupidè incurrentes: quis itaque hic, ille etiam, qui e limine tantum medecinam salutavit, dubitationis aleâ ludere ausus fuerit, dum acerrimum illud ac causticum, quod ut ita dicam callum in vesicam elevat, liquidum diglutitum ad partes corporis humani omnium sensibilissimas, quarumque irritabilitas cum eâ cordis in scalæ irritabilitatis summo positâ, non sine ratione dimicare statuitur, delatum, has crudelissimè irritet, summos inducturum dolores.

○ Multiplicia summèque infortunata, in quibus, à causa simili, similes lucem videre ærumnæ, non desunt exempla, talium plurimorum passim in operibus, mihi semper veneratus, numquam venerandus

ad æquum, *Hermannus Boerhaave* memoratur, ubi a stimulo minerali quocumque, vitriolico, arsenicali, salino, etc. cum aquâ in terræ visceribus immixto, cumque eâ deglutito morbi præfato analogi, analogis cum sequelis nati sunt, similium commemoratur *Antonius de Haen*, *ramazzini* aliique plures et ego quidem alias memoratus sum.

Quoad naturam morbi investigandam spectat, ad symptomata, quæ in pectore et aliorum sese produnt non attendendum esse dixi utpote consecutiva: sanè non ad ea pectoris: quæ etenim non esset respiratio difficilis in tanto dolorum cruciatu, sive spasmus universi serè abdominis; sive ob violentiam acerbam torminum neglectam inspirationem consideraveris.

Dum jam hæc, undecumque inducta, respirandi difficultas ponitur, cor anterius, vulgo dextrum, dictum in angustatos, sanguine obrutos pulmones, cor posterius, veteribus sinistrum dictum, in coarctatam aortam descendentem, sese exonerare nequeunt, unde pro excessu resistentiæ, quam in sui evacuatione hi experiuntur, in costas impingere sive palpitare debent:

lassitudo vero sive debilitas apparens, impeditæ circulationis comes individuus, ut cuique physiologo notum est, aut esse debet, hic abesse nequit.

Hæc quoad primum morbi stadium.

Quod secundum attinet, me iudice; nihil aliud id, quam morbum chronicum, primarii pedessiquum assignat, cui similes, analogosque, post morbos acutos perpe-
sos, vidêre non rarum est, eoque minus, quo magis, prior præscriptis rebellis res-
titerit remediis.

Hæc nunc si ita sint, quæ indicatio, quæque ei adimplindæ remedia sint effi-
cacia, videndum superest.

Quod prius spectat, si rectè opinor, de nihilo, quam de irritatione morbificâ des-
truendâ, conservatâ naturali, sive quod fere idem sonat de constrictione intestino-
rum eousque deprimendâ ut motus peris-
lalticus sufficiens supersit, qui inimicum expellere possit, agitur magis.

Si ergo materies irritans in vel circa ventriculum hærêre intelligatur; nullus dubio locus, quin vomitorium, repeten-
dum si opus, porrigendum veniat, præ-
cipuè ex ipecacuanâ.

Purgantia omni casû obesse debent, quousque stat irritationis violentia.

Cujus præprimis refert est tormentis vel experimentis chemicis investigare, quæ sit natura corporis toxici in aquâ soluti, ut ita ei notæ, antidota, si casus ferat, adaptari valeant.

Dico si casus ferat ob rationes in tractatu meo politico et alicubi allatas.

Naturâ toxici manente ignotâ, vel notæ non adhibendis cum fructu antidotis, ad deluentia, in maximâ copiâ tepidè hausta recurrendum: ut deinceps lenis mitisque liquidi quantitate, submergendo, ut ita dicam, stimulus destruat.

In quantum hæc methodus simplex, etiam in lethifero deglutito arsenico, mirè profuerit satque superque notum est. Interea istius generis medelæ plurimum fidebant, *Butler*, *Sydenham*, *Tissot*, *Baglivi*, *Roussel*, etc.

Quod sola diluentia non valent, id valebunt fortasse aptius; si una cum involventibus mucilaginosi maritentur: sic enim stimulum non solum, diluvii adinstar dividunt, diffundunt: sed etiam temporis interea eundem efficaciter obducunt

ita ut spiculis ejus involutis, hæc membranas intestinorum immediatè tangere nequeant. Brevitatis causâ, quæ aliàs abunde dixi, hic omittere cogor.

In quantum cum vel sine his opium in magnâ dosi præscriptum prodesse valet, etiam post mea numerosa pericula notum est.

Ut ex difficillimâ respiratione, cum irritatione violentâ impetuque aucto a tergo in hominibus robustis, ut id genus opificum ordinariè est, pulmonum morbi, inflammatio, hæmoptthisis, cordis, anterioris præcipuè, aneuvrismatica expansio, gastritis, enteritis eorumque sequelæ præcaveantur aut posita curentur; celebranda repetendaque foret plebotomia unâ cum aliis, in tali casu indicatis, remediis anti-phlogisticis.

In aprico est quam utiles semper, nocivos numquam effectus exerere debeant balnea tepida et clysmata.

Cane et angue pejus, dum hæc adhibentur, fugienda sunt calefacientia, stimulantia quocumque titulo porrecta.

Hæc si strenuè adhibeantur, observentur adamûssim vix non sperare ausim pri-

marium morbum (a) feliciter debellatum, pedisequum chronicum preventum iri: si vero votis non respondeat eventus id est, si quam illustrissimo *Hallé* ita vocare placet, *anæmia* locum habeat, in eam profligandam ad amara, corticem peruvianum rubrum, martialia recurrerem, diætam injungerem eupeptam tonicam, exercitiumque, in eâ qua vires redeunt ratione augendum, consulerem, unâ cum severâ ab omni aquoso tepido, relaxante, debilitante; ab omni acido acescenteque, quod vires pessumdet abstinentiâ, etc. quibus tempestivè adhibitis, debitoque temporis intervallo continuatis; certius redituræ sanitatis spes blanditur, nisi simultaneus alius morbus, intestinorum verbi gratiâ exulcerationes, quarum sedes purulentæ, quæ in decursu morbi observatæ fuerunt, vehementem injiciunt suspicionem, ne dicam certitudinem, concomitem sese junxerit.

(a) Morbum, de quo agitur, non vidi, nec vidi morbosos: morbosos vidère ancinenses, valencinenses medici et Parisienses eo a gubernio missi, qui morbo, cujus natura obscura non erat, nova dedère nomina, ut ferè fieri assolet, maximæ. Scientiæ confusio ægrorumque detrimento, qui sanè, hic in curatione non fuèrunt admodum felices ut in dicto diario vidère est, secundum quod dissertatiunculam scripsi, quæ mihi socii nationalis titulum meruit.

D I S S E R T A T I O

*De Morbo Epidemico-Contagioso-Maligno
qui in HEEMBEEK superiori et inferiori
regnavit ab initio anni 1806 usque in
mensem Maji ejusdem anni, quo fuit
suffocatus.*

AB initio ergo hujus currentis anni 1806, pagum unum alterumve, non longè Bruxellis distantem, infestabat morbus epidemico-contagiosus, mali moris, potissimam ægrotantium partem e medio rapiens.

Populationis decimationem pertimescentes, sanè non absque jure, et loci magistratus et ecclesiæ ministri una consulunt, concluduntque me accersère, sumptibus communibus, consilium de dirâ strage ineundi causâ cum medico ordinario, quem ex urbe-vicinâ in ægrorum solamen rogaverant.

In locum appulsus statim atque intelligo ex narratione communi consultationi præsentium parochorum et medici ; morbum in uno quodam puncto natum , ex eo , quasi ex centro propagatum fuisse ad partes circumjacentes ut peripheriam : eumque , dum domum unam ingressus fuerat , implacabiliter vix parcere uni ; ægrosque frequentantes clinicos , medicos , parochos præ cæteris eodem corripit.

Hisce intellectis nihil magis pronum erat quam ad naturam contagiosam morbi concludere , qui paucis vix elapsis diebus dignissimum parochum ita aggrediebatur ; ut omni artis molimine opus fuerit ne cum pluribus ad plures discederet ; uti , fere eodem tempore infelici meo collegæ accidit , qui zeli sui atque laboris victima diro morbo succubuit.

De morbi pravâ indole nullum superesse poterat dubium percipienti , pusiones matrum uberibus amplexibusque abreptos fato occubuisse ante diem , simile infortunium reliquis accidisse infantibus ; sortem iniquam amarè flentibus parentibus , quibus morbus implacabilis , insatiabilisque nex non diu pepercit æquè

minus ac reliquis domesticis, qui simul omnes diris tradebantur orci faucibus. Sic spoliabantur ædes, frustra disiderabantur incolæ; in vanum quærebantur consanguinei atque amici, difficulter reperiebantur coloni atque pagani ac parum aberat ut tellus jaceret inculta frustra desideratis brachiis.

Tanti mali supererant dispellendi effectus horrendissimi. . . . verum.

Hoc opus, hicce labor tantorum tollere causas.

Scopum hunc, quem expetebam votis omnibus, quemquè in sui salutem perditam at recuperabilem ægri; in sui conservationem vacillantem ac dubiam, adhuc fani expetebant avidissimè, ut attingerem; animum sedulo applicavi perscrutationi seminiarum, potentiarum nocentium; observationi exactæ symptomatum antecedentium, concomitantium atque subsequentium, eâ spe ut crudelissimi morbi latitantem expiscarer naturam.

Quod primorum id est seminiarum studium attinet, vix aut ne vix produxit aliquid, quod Bonæ frugis esset: morbus quippe parcebat nec sexui, nec ætati,
nec

nec temperamento : indiscriminatim enim pusiones, infantes, virgines, viragines, nuptas, viduas, puberes, adolescentes, mediæ ætatis viros, senes, constitutionis laxæ et debilis, rigidæ, fortis et elasticæ quosque, plethoricos, robustos, enervatos dira opprimebat calamitas : nulla itaque, quod mirum videri possit, erat ad morbum prædispositio reperibilis.

Quod potentias nocentes spectat, quasque in sex vel potiùs in septem, (a) quas

(a) Nunquam intelligere potui quâ ratione res has *non naturales* appellarint proavi ; dum tam naturales sunt ut ab homine vivente abesse nequeant : manducat enim et bibit, dormit vel vigilat, si non quiescat movetur, ex circulatione positâ vigent se et excretiones, sine respiratione vita et illa sine aëre est impossibilis, demum mortalium nullus est qui nunc uno, nunc alio animi pathemate non afficitur. Cum res hæ, quibus nihil magis naturale est, tales sint ut cuncti et singuli morbi ex harum unâ pluribusve originem trahant vellem has potius *morborum fontes* appellare. . . Ita tamen ut septimam adderem quæ ad præcedentium nullam reduci potest et ex quâ, æquali ratione, sui genii morbi oriuntur et hæc *situs* est : nemo enim ullus ex hoc horizontali sanguinem ad caput congeri, ex congestionem in prædispositis apoplexiam, cephalalgiam oriri inficias ibit, neque dubitabit partium inferiorum œdemata, varices, etc. induci, inducta augeri dum cum seminio, justò longius verticalis est : uti ob compressionem, vasorumque inflexionem obstructions oriri dum cum pertinaciâ vitæ sedentariæ ultra mensuram indulgetur.

jam indè posui, rerum ita dictarum, non naturalium, unâ, pluribusve invenire ratus fueram, nimia de successu spe seductus, nihil detexi quod morbo producendo, fovendove favebat peculiariter: nihil enim ad ejus explosionem contribuebat aer; dum sub quâcumque ipsius temperaturâ calidâ vel frigidâ; humidâ vel siccâ morbus ingruerat sæviebatque æqualiter; dum ventus ex quâcumque mundi plagâ spirans ex austro, boreâ, occidente vel oriente morbum nihilo mutabat: dum nec palus, nec cloaca, nec fomes alius quicumque qui eum inquinaret ullibi existebat.

Pensum sane nihilo majus conferebat cibus potusve; dum lautè viventes æquè corripiebantur, quam ii, qui ex re augustâ domi simplicissimis avarâque manu porrectis vescebantur alimentis. Non plus quam copia, adferebant esculentorum qualitas atque natura, diæta vegetabilis ex pomis terrestribus, lacte ebutyrato, quæ fere totam pauperum rusticorum culinam perficiunt sola; non magis a morbi invasione eximebat, quam victus animalis: helluones potibusque spirituosus abutentes, strenui bacchi milites, nec

citius corripiebantur, neque gravius decumbebant, quam isti, qui cerevisiâ tenui aquâve sitim sedare assueverant ab incubilis abstemiî : aqua autem erat limpida, inodora, optimæque notæ, qualis in colle, cui pagus insidet esse consuevit.

Motus aut quies nec morbum removebat nec advocabat, non augebat, non minuebat, eo corripiebantur æquali promptitudine pusiones, sedentarii quam robusti exercitati, sub ardentis syrii radiis, durissimo labore victum et amictum lucrari soliti.

Animi pathemata, quæ rusticorum animam, in tantum fere ac eorum corpus induratam, vix attingunt nihil contribuere debebant et reverà nihil contribuêrunt ; metum si exceperis atque tristitiam, quorum funestum influxum in morbos contagiosos, fasta medica plus nimium testantur.

Somnum quod attinet atque vigilias vix aliquam merebatur attentionem ; dum ille, qui est in ratione laboris diurni, agriculturalium omnium mapalia semper habitat rerum dulcissimus ; et econtrâ vix non semper desidum magnatum palatia fugit.

Secreitonum atque excretionum cam-

pum mentaliter percurrenti statim sese offert, pathologiæ humoralis facile princeps, bilis, cujus in morbis producendis potestatem nocivam, nimis generosè adoptavêre batavi *Degnerus, Van Swieten etc.* nimium ornavêre helveti *Tissotus, Zimmermannus, etc.* nimium extendêre germani *Stollus, Collinus, etc.* nimis facilè amplexi sunt belgæ, galli alique: sanè, nisi res me cadat, ipsi innocenter adscripta fuerunt ut causæ, quæ omnino aliam potita erant scaturiginem. Potest quidem, nemine contradicente, bilis quantitate peccare aut qualitate et eatenus sui genii producere morbos: verum cave ne nimis facilè credas, nimisque temerariè judices, ut ferè judicari assolet, dum cum linguâ conspurcatâ, adsunt anxietas præcordialis, nausea, vomituritio, vomitus, appetitus prostratus, intestinorum turbæ, etc. bilem copiâ peccare aut pravâ indole; morbosque concomitantes aut pedissequos apoplexiam v. g. peripneumoniam, hæmopthisim, gastritidem, enteritidem, diarrhæam, choleram, dysenteriam, etc. ei adscribenda esse: denotant quidem prædicta symptomata in primis viis sabur-

ram latitare : verum hanc , quæ in diversis diversa esse potest et revera sæpè sæpius est , pro omnibus uniformi bile assumere dupliciter erroneum est : verùm non solum erroneum sed maximè periculosum est , si remedia indicata , emeticum præ aliis , respexeris , quod in apoplexiâ , peripneumoniâ , hæmopthisi sic dictis biliosis porrigere non reformidavit *stollius* cum suis.

Qui horum morborum essentiam novit ; qui vomitorii virtutem , vomitûsque actionem non ignorat , simile pharmacum præscribere in similibus casubûs horrêre debet : ego quidem semper horui , horreboque , dum vivam.

Error hic , nam error manifestus est , verosimiliter in causâ fuit cur modernorum aliqui *Brownius* , *Pinellus* , etc. eorumque adseclæ humorem hunc aliosque ex causarum morbificarum classe exularent , in scyllam impingentes , charybdim evitare conati : bilem ergo hanc , aliaque secreta liquida , quæ copiâ peccantia aut quæ a dotibus physiologicis aliena , pro causâ productrice epidemiæ , de quâ scribo , nullatenus assumere potui : quod assumptû tamen fuisset perquam facile illi

qui symptomatibus , de quibus statim , superficialiter solummodo inhæret, opinionibusque receptis serviliter mancipatur.

Cum, contra quod fieri assolet, prædispositionum causarumque remotarum examen etiam rigorosum luminis affuserit nihil : aliunde, ad symptomata nempè sese vertendum fuit ut lucem attingeremus ; ne cæcè errando in tenebris me, mecumque curationis spem perderem atque morbosos.

Symptomata constantia atque omnibus communia fuerunt ea quæ sequuntur. Capitis dolor ad frontem, modernis supraorbitalis dictus, febris acuta continua, sitis, non tamen immoderata, lingua conspurcata, appetitus prostratus, alvus irregularis, his constipata, illis liquida et frequens, quandoque terminosa. Aliis aderat anxietas præcordialis ; aliis nausea, vomituritio, quibusdam vomitus ; aliis facies rubicunda, nullis dejecta : hæc erant symptomata morbi concomitantia, ipsiusque comites individui : de antecedentibus nihil dixi : nulla enim sese monstrabant observanda etiam oculo perspicaci, inque rem sedulo intento, qui opimè vale-

bant hodie , intra viginti quatuor horas decumbebant periculosissimè.

Subsequentia fuère varia, pro variâ parte corporis, quam morbus impetebat. Hic observabatur dolor capitis gravativus, in soporem vergens, âque constanti supraorbitali diversus; aliquando delirium non ferox, neque obscurum: alibi quædam respirandi difficultas, leniter dolorifica, cum tûssi sputorumque mucosorum expectoratione; alibi ventris inflatio tympanitica, ad attactum sensibilis, cum involuntariâ sedium et urinæ excretionem: cæteroquin monstrabat sese hinc inde eruptio quædam cutanea, coloris rubri, indeterminatæ figuræ, quam proin pro miliari rubrâ non recêperis; neque erat hæc aût benefaciens aût malefaciens; nec critica, nec mali ominis.

In, hisce stipatam symptomatibus, propellendam ægritudinem, adhibebantur emetica; purgantia, quandoque eccoprotica, quandoque drastica, ibi nempè ubi alvus manebat constipata; cortex peruvianus sùb diversâ formâ, in substantiâ, in decocto, in extracto; camphora; acida mineralia; vinosa; ejusdemque faraginis

similia, alternatim promiscuève porrecta: verum vix non semper incassum; ad omnia recalcitrans, morbus sæviebat amplius; potissimamque decumbentium partem, orci faucibus traditorum rapiabat e medio.

Spe melioris succesûs requirebatur ante omnia exacta æthiologicaque morbi cognitio; requirebatur indicatio constans atque invariabilis; requirebantur apta ei adimplendæ medicamina, quæ leviter non mutares, dum rem acu tetigeras.

Igitur in consilium vocatus præ cæteris omnem navandam operam judicavi; ut morbi indoles innotesceret, quam in materie saburrali, in primis viis latitante contagioque commotâ consistere, pronuntiare non dubitavi, ita ut nec genii putridi, nec inflammatorii esset: id quod ex magni *Boerhaavii* effato omnem morbum epidemicum indolis esse putridæ vel inflammatoriæ asserentis, facillimè fuisses suspicatus.

Morbum saburralem fuisse nemo ullus, nisi is, inficias ibit, qui meridiano tempore solis supra horizontem elevationem impugnaret: aliud est de morbi naturâ,

quam inflammatoriã aut putridam futuram, ut jam dixi, ex summi viri auctoritate fueram auguratus; eo magis, quod id in plerisque casibus veritati conforme invenerim; et quod, ut vir eximiũs asserit, id maximum sit, quod in arte medicã didicit; ipse qui, si mortalium ullus, omnia noscebat, saltem quoad artem medicam in omni suã extensione. Summi præceptoris auctoritate præoccupatus; ejusque doctrinã, quæ omnem, omnium sæculorum doctrinam facilè antecellit, imbutus, et quam summoperè veneror, iis exceptis, quæ ætas postera, aliorumque egregiorum virorum industria invenit, addidit, correxit, emendavit; multum me tenuit alterutram partem an amplecterer: verum cum ab ineunte, ut ita dicam, ætate mecum ita constitutum sit, ut nulliũs in verba jurem; omnemque in rebus physicis auctoritatem, fuerit etiam humanã major, frigidè respuam; dum mihi ratio loquitur, aut experientia veritatem demonstrat: totum negotium ad severam incudem severè revocavi.

Exigebat *Boerhaavius*, exigebant alii in arte magistri ut febris inflammatoria sit,

calorem cum rubore per universum corpus dispersum; nisi alicubi in capite, in pectore aut in viscerum abdominalium aliquo notabili, pluribusve peculiare obstaculum hæreat, ut sæpè sub finem, dum in mortem morbus vergit, observatur, ûrentibus internis cum frigore partium externarum : pulsum durum plenum, dum æquabilis per totum sistema circulatorium libertas locum habet : urinas rubras, vel si summa globulorum rubrorum densitas adsit, quæ intimam aquosorum miscelam respuit, aqueas et limpidas : sitim ; siccitatem vel sudores calidos copiososque, etc. : jam autem dicta symptomata, etiam in leviori gradu non aderant : unde, rectè ni fallor, intuli, ut inferendum veniebat, morbum grassantem non esse genii inflammatorii. Neque eum esse indolis putridæ. facile demonstrabat absentia eorum symptomatum, ex quibus naturam similem judicamus stabilimus : etenim non aderat subita illa ac summa prostratio virium, neque aderat facies illa dejecta, pallida ; non aderat pulsus parvus, debilis ; non aderat summus ille excrementorum fætor, qui sem-

per adesse solet, dum ex fomite putrido vel putrescente in primis viis hærente originem trahit : non aderat ergo nec adesse poterat causa, cujus effectus reperibiles non erant.

Erat igitur *morbis Saburralis, indeterminate nature* :

Cum essentia entis in genere id sit, quod in ente primo concipitur, et ex quo reliqua, quæ ei insunt, profluere intelliguntur, difficile non erit omnia et singula symptomata, quæ sese in hocce morbo manifestârunt, adamussim explicare ; et in primis dolorem capitis supraorbitalem, quem a vapore, gaze aut fuligine ; ut veteres loquebantur, a fomite in stomacho hærente, per œsophagum in pharyngem, exin partim in ore divergente, partim per foramina narium posteriora in sinus frontales adscendente, quorum nervos irritat, cum affectione dolorificâ subsequente, repetendum censeo : novi quidem sententiam hanc à proavis prolatam, a successoribus impugnatam repudiatamque fuisse, ita ut dolorem hunc potius a consensu aut nervorum sympathiâ repetendum esse duxerint : verum enim vero

dum celebres illas nervorum sympathias cominùs inspicio, attentâque mente considero, iis multum attribuendum esse non perspicio, saltem in affectionibus dolorificis : aliud sit de convulsivis, quas irritatio in parte remotâ posita provocare potest ; sæpiusque, quotidianâ docente experientiâ, provocat, id tractione nervorum mechanicâ, aut inverso fluidi nervei impulsû, aut aliâ ratione factum fuerit ; et tunc quidem adhuc necessarium est, ut partis vel partium, quæ in convulsiones rapiuntur, fibræ mûsculares irriterentur immediatè ; licet causa excitans in aliâ parte remotâ resêderit : ex trito enim axiomatico, *nullam causam agere in distans*, jam cuique notum est.

Quod dolorem attinet, quem in parte affectâ, non in cerebro, fieri, ut vulgo in scholis docetur, inque libris legitur ; plus unâ vice in lectionibus meis luculenter demonstravi ; is in nullâ parte existere potest, nisi ipsiûsmet partis nervi patiantur : quomodo enim vis existat : V. G. cardialgia, colica, dum nervi ventriculi aut intestinorum nullatenus vellitati, distracti, irritati placidè requiescunt,

id velle, nonnè id est dolorem velle sine dolore; effectum sinè causâ, ens blictri.

Ingrata hæc sensatio, quam anima continuo a se removère conatur, et quam generatim spectatam in nervi distractione violentâ, quæ ejus solutionem minatur, nimis parvâ cum extensione ponebat *Schola Boerhaaviana*, ni fallor, ponenda venit *in omni violentâ nervorum vellicatione*, quam primò inducere potest quodcumque eos certâ cum velocitate (a) prolongat.

Secundo quod eos sublevando distrahit; corpore dilatante subtùs latente, undè acuti illi extremorum digitorum dolores, gallicè *panaris* dicti.

Tertio quod vasa nimium replendo, circumflexos nervos vexat: unde hæmorrhoidum tumentium tormina dolorifica.

Quarto omne id quod nervos *partialiter* dividit, unde dolores immanes, quos pungentia, secantia, contundentia, aliave ejusdem naturæ, plus nimium inducunt.

(a) Certâ cum velocitate dico: dolor enim non producitur, si id sensim sine sensu, per gradus cum lentore fiat, gravidarum, hydropicorumque exemplo, quorum abdomen aliquando immaniter tumet absque vel minimo dolore.

Quinto finaliter cunctum id quod eodem attactu irritat : undè in tantum patiuntur ii, quorum nervis, etiam integrè divisis, acrimonia applicatur, aut alius quiscumque stimulus mechanicus.

Ex prædictis consequens est, ut in eo, de quo agitur, dolore capitis, unus saltem, si non plures ex his quinque modis, ad quos omnes potentias nocentes doloris, sine errore referas, maximo sanæ praxeos commodo, in nervis partis affectæ locum habeat.

Nunc si per omnia mentem attentè ambules; quid quæso aliud, præter vapores ex fomite stomachali in sinus frontales elevatos accuses? Jam plebis ultimus vapores hos condensare et ita cephalalgiam hanc fomentis frigidis ex aceto consolari novit: et clinicorum quisque, fomitem hunc, qui vapores suppeditat, sive per os sive per alvum expellendo, dolorem, de quo agitur, incantamenti adinstar curari in expertis habet. Nunc horum vaporum existentiam atque elevationem anima fætens, sapor ingratus in ore et lingua conspurcata facilè produnt; eorumque vim distendentem et quandoque

irritantem immanis ventriculi et intesti-
norum inflatio, angina, ulcera œsophagi,
faucium, oris, etiam dum nulla materies
saburræ iis adhærere conspicitur, ad
evidentiam demonstrant.

Universum febrium, de quibus tot tan-
taque inutilia, frivola, absonaque scripta
fuêrunt atque narrata; negotium, eo re-
dit, ut eârûm qualiumcumque *essentia*
consistat *in cordis et vasorum irritatione*
solito majori: quo posito: febris origo hic
diù latere nequit, dum vasa absorbentia,
sint lactea, sint venosa, loco chyli blandi,
quem in statu sano hauriunt, atque ve-
hant; jam materiem morbificam, hetero-
geneam sugunt atque bîbunt ac in massam
humorum generalem infundunt; cordis
vasorumque futurum irritamentum, cum
febre pedissequâ, aut concomite; eo fu-
turâ majore, quo major istius quantitas
eo delata, ejus qualitas deterior aut
subjectum sensibilius fuerit et irritabilius.

Febrim incipere cum spasmò, ex spasmò
oriri siccitatem, ex siccitate, dum stat
functionum cerebri integritas, sitim, hanc
intertineri, augeri quidem ob partium
liquidiorum de massâ sanguineâ dissipa-

tionem, ob remanentium exaltationem atque evectionem etiam alumnis notum est: hisce sitis causis sese jungit alia, ipsa nempe saburra in primis viis stabulans, quæ per se, omni febrili motu absente, frequentissimè sitim inducit, aliunde inductam intendit; dum ea ipsa, temporis interea, appetitum prosternit, quâ succos inquilinos, salivam, humorem oris, faucium, pharyngis, æsophagi exhalantem; succum gastricum, entericum, pancreaticum; bilem utramque inficit: si quandoque ab iisdem, antecedenter à statu naturali degeneratis, ea ipsa primordiãliter non fuerit generata; deinde qua membranam villosam et ita papillas nervosas, incrustando, certo quodam pigmento obducit, sensibilitatem earum obtundente; aut finaliter qua tonum ventriculi dejicit, fibris ejus muscularibus torporem inducit.

Quoad linguam conspurcatam, intelligitur id facile a vaporibus a stomacho elevatis sedimentum, aut, ut satis ingeniose veteres vocabant, fuliginem, ab analogiâ combustibilium vaporum, aut fumi, qui parietes caminales incrustando, eos,

eos, si ita loqui liceat, saburrâ nigrâ obducunt, in partes oris internas deponentibus. Nemo sanè conspurcationem hanc, ab alimentis, potulentisve, ullo cum fundamento repetierit, dum hæc potius partes, supra quas devolvuntur, detergunt; ipsâ teste linguâ, quæ post manducationem semper nitidior observatur.

Ex his concludere pronum videretur, tum in primis viis materiam saburralem existere, dum lingua conspurcata reperitur; conclusione factâ à signo ad rem significatam: ast erroneè, maximoque cum ægri detrimento; si exin evacuantium usus evocaretur, atque protraheretur donec et usque nitida conspiciatur: errorem hunc justo sæpius commissum, committique adhuc dietim dolemus; et jam quondam amarè in se ipso, celebris doluit *Helmontius*.

In primis dantur inter mortales aliqui, ii præcipuè, qui mediante cultello, balenâ aliove corpore duro linguam mechanicè abradere assueverunt, quo papillas ejus tam flocculentas efficiunt: ut id, quod aliàs libere in auras avolasset, jam iis intricetur atque adhærescat, linguam semper plus minus conspurcatam habent,

nihilò plus , quam fas est , onusto stomacho.

Deinde si rem coninus inspiciamus ; penitiusque perscrutemur , denotat conspurcatio hæc , meliori jure , vapores elevatos fuisse , depositâ adhærescente farcinâ ; quam jamjam elevari , effectu adhuc insensibili : unde consequens est fomitem , qui equidem non semper emittit vapores æqualiter fulignos ; existere posse , et nullum ipsius in linguâ reperiri signum , atque vestigium : et vice versâ jam dudum expulsum posse esse , mendace linguâ , saburræ ideam suggerente incautis ; qui per fas et nefas purgantia continuando saburram potius inducunt , quam dispellunt ; succos inquilinos , funestâ jacturâ , dilapidant : viscerum chymo-chylo-poëticorum actionem pessumdant , reduplicato passu ægros sepulchrum versus præcipitantes : uti ergo in moralibus , ita in physicis , linguæ diffidere discas , ac ex eâ conspurcatâ ne ad saburram concludas , ni unâ alia , ut sensus ponderis , repletionis ad scrobiculum , anima fætens , anxietas præcordialis , nausea , vomituritio , vomitus , intestinorum turbæ , signa concurrant.

Ut alvi irregularitas, quæ in hoc morbo observata fuit, frequentissimèque in ei similibus observatur, apprimè intelligatur (hûic studio sedulo incumbendum postulo ne dum constipata reperitur eam, mediantibus drasticis, pessimis cum ægri rebus, solve tentes indiscriminatim; id quod, ut jam ante tetigi, hic infeliciter factum fuit) considerandum est quod sicuti irritatione nullâ positâ languens, et torpens motus peristalticus intestinorum suspendit alvum; ita ex nimiâ irritabilitate exsuperans et in spasmum usque adscendens motus adstringit eamdem? Quod si illic, quæ irritationem augment, alvum reserent et purgent, nonne hîc unum valebunt idemque quæ eam minuendo spasmum resolvunt? Atque adeo si hîc irritantia adhibueris, nihil obtinebis certius, quam ejus, quod optabas, contrarium: expectationem fallet eventus; quam moliebaris reserare alvum, constringes; nec secus feceris ac si caminæ oleum affudisses. Ab iis solis, ratione suadente, medelam opportunam et successum desideratum expecta, à quibus motus intemperantes et spasmodici reprimi ac domari queunt

narcoticis, quæ hîc miraberis purgantia et efficacissima, quidem existere : non quod ea ipsa in se reverà purgentia sint ; sed quod rei alteri, qua purgans fiat, occasionem afferant ; quod ut clarius atque distinctius intelligatur, notandum : si irritatio nulla, nihil quidquam intestina contrahuntur, motus peristalticus et hinc alvus ex inertiâ quiescit atque suspenditur ; ab irritatione reproductâ contractiones resuscitantur, motus peristalticus et ex hoc alvus revocatur ; contractiones et numero et vehementiâ insurgunt, increscit motus peristalticus et fit alvus copiosa magis et frequens ab irritatione adauctâ ; hâc amplius adauctâ contractiones intestinorum eo augentur usque ut frustra, quod superesset, cavum in iis quæreret ; quare per clausum nimiâ contractione tubum, materiæ nullum progressum aut secessum expectes, præterquam ab iis, quæ, irritationem nimiam sopiendo, contractiones ad id reducere queant punctum, at non infrâ, quo naturalibus et majores et frequentiores supermaneant reactiones aptæ, quæ, ut purgans facere solet materiem morbificam irritantem

expellant, quando, quæ expellenda sit, adest.

Hoc quod quæris subsidium, non alia certius tibi dabit, quam stupefacientium classis remediorum, inter quæ eminent opiata, “ sine quibus mancam fore atque „ claudicare omnino medicinam „ asserere non veretur *Sydenhamus*; et “ profectò „ non hic mihi tempero, inquit, quin „ gratulabundus animadvertam Deum „ omnipotentem *πάντων δεσπόσαν* non aliud re- „ medium, quod vel pluribus malis „ debellandis par sit, vel eadem efficacius „ extirpet, humano generi in miseriarum „ solamen concessisse, quam sunt opiata “, quæ reverà dosi majori, quod pluribus pessimè audit, in simili casu, præscribebat, nempe ad usque guttas LXXV. laudani sui liquidi per diem: asserit tamen sancte vir fide summâ dignissimus, sibi ne vel minimum quidem incommodi à tam frequenti medicamento narcotici repetitione adhuc videri contigisse (quantumlibet noxam inde secuturam comminiscantur inexperti).

Quin anxietas præcordialis ex impedito, vel saltem minus facili transitu sanguinis,

per ultima vascula sistematis venæ portarum , ad cardiam distributa , oriatur ; nemo est , qui hodiedum dubitat : quomodo autem impedimentum hoc , hic suppeditetur sine magnâ difficultate patescet : si animum sedulò adverteris ad tonum dejectum partium musculosarum , quarum actio atque reactio , plurimum fracto impulsu cordis et arteriarum , circulum per id sistema expedit fere sola : vel ad spasmus ex materiâ saburrâli oriundum in stomacho vel intestinis , præsertim tenuibus , utrisve ; quo constricta vasa , transitum sanguinis , in obstaculum arietantis , cûm palpitatione concomitante , quam malè pro eâ cordis haberes , occludunt.

Dum materies morbifica , quæ in stomacho nidulatur , quantitate vel qualitate viscus id , et præcipuè orificium ejus dextrum , id est pylorum , ita irritat ; ut sibi ipsi transitum in duodenum , saltem , partialiter , præpediat , motus ejus peristalticus invertatur necesse est : unde nausea vomituritio , et ex eâ amplius adauctâ vomitus ipse subnascatur oportet.

Ex febre sanguinem excandescere , rareferi , vasa dilatari , impetum à tergo aû-

gêri, plus nimium notum est: quare nullus mirêris cruorem in dilatata, hinc minus resistentiâ, vasa aliena, quæ in statu sanitatis ordinario, non ingrediebatur, vascula, subcutanea aliave majori vi impulsam ingredi: unde facile ex vasibus morbificè, ut ita dicam, injectis, partiumque tegentium transparentiâ ruborem deducas, nisi simul attenuatio ejusdem aut divisio in ruboris augmentum concurrerint.

Dum jam ægrorum situs familiaris talis est, ut ad parvum cum horizonte angulum, vel quandoque parallelè ad eum, decumbant, sanguis et facilius, et fortius et copiosius in caput fertur; et è contrâ ex ablato ponderis adjumento, difficilius, tardius parciusque redit ab eodem: unde impossibile est ut in ibidem non nascatur congestio, quæ, cum ruboris augmento, partium sùperiorum tumorem luculenter explicat.

Mihi videor ex empiricorum atque versipellium classe, audire quosdam tacitè obmurmurantes, alios apertè obstrepantes, explanationem hanc, scholas plus nimium redolentem, inutilem esse futilemque, dum non similibus explanationibus et enucleationibus, at solis remediis,

observatione et experientiâ in decumbentium salutem directis, ægri curari possunt atque debent : *verum non nisi sibimet vocali ignorantia nocent!* quis enim mortaliûm, ægritudinum cûram cum spe futuri successus probabili, tentarit, qui modum, quo producuntur ignorat? Hujus fatalis ignorantia periculum, jam ab aliquibus mensibus, in opusculo *de certitudine in medicinâ, methodoque eam in hâc acquirendi*, ad evidentiam demonstravi : detur v. g. in hoc, de quo agitur, morbo alvum constipatam esse. Anne quammox, quia eccoprotica non prosunt, ad drastica, quæ reserent, confugiendum? An stimulo morbifico, qui spasmus producit, alvum claudit; superaddendo stimulum artificialem eam solvent? Augendo causam dispellentne effectum? Anne scybala quæ, uti sequentia, hic locum habere possunt quæque canalem intestinalem obstruunt, dissolvent? Viasque supra quas progredi debent lubricabunt? Anne herniam, quæ intestini partem impermeabilem reddit, restituent? Elapsum in locum reducent? Anne vasa hæmorrhoidalia infarcta, quæ intus nimium tu-

mentia, obstipando lumen intestinale elidunt, deplebunt? Tantum abest ut in hisce casibus iis mediantibus scopum desideratum attingas; ut alvum, quam aperire moliris, claudas amplius ampliusque, mortemque pro sanitate accerseas.

Dissertationis filum ad symptomata subsequencia ducit: quare in primis de dolore capitis gravativo, qui in soporem virgit et aliquando ictu apoplectico necat, agam. Dolorem autem hunc à congestis ad capitis interiora humoribus oriri, nemo est, qui in dubium revocat: verum uti ex febre sanguis et fortius et copiosius in carotides externas impellitur, et ex situ obliquo et penè horizontali per venas difficiliter parciusque redit: ita idem fit in carotidibus internis, venisque correspondentibus: unde consequens est ut humores in partibus thecâ osseâ cranii inclusis, congerantur, pressionemque suam lateralem, quæ perpendicularem æquat, in subjectum encephalon partim, partim in involventes membranas, intercurrentesque nervos exerant: unde cum dolore facile sopor concipitur; dum conferruminatis futuris os cedere, ita extrorsum tumere nequit.

Si impetui febrili, situique jam dictis, materiæ morbificæ absorptionem, ejusque malâ metastasi, ad encephalon depositionem addideris, tertia tibi suppeditabitur ratio, quâ symptomatis hujus, morbo ipso primario sæpe periculosioris, æthiologiam concipias.

Dum ex quâcumque causâ, physica fuerit aut moralis, æquabilis circulatio per cerebrum turbatur, delirium adest vel stat præ foribus: nunc autem in casu posito, exque rationibus allegatis inæquabilitas illa facile ponitur: unde fatalis delirii explicatio.

Quousque sanguis ex cordis ventriculo anteriori, dextro veteribus dicto, in arterias pulmonales expulsus, libere transit in venas cognomines; ex his in ventriculum posteriorem, ex hoc in aortam, respiratio facilis est placidaque: fiat vero ut huic transitui obex ponatur qualiscumque; angitur animal ex respiratione læsâ: nunc potest compressa medulla cerebri, compressa fortassis etiam hinc inde aliqua substantiæ medullaris spinæ dorsi regio: hinc impeditus, interceptusve influxus fluidi nervei in musculos intercostales, in

diaphragma, pectoris dilatationem sursum, extrorsum deorsumque impedire. Potest sanguis, ratione febris parte suâ liquidiore orbatus, in minimis vasculis hærere. Potest idem ratione nimiae evectionis, exaltationisque; vel ex materiâ absorbtâ, infectionis acris, eadem constringere, sic liberum transitum præcludere: potest abdomen tumidum, ob congestos humores in ejus visceribus, aut efficacius ob gaz extricatum, atque retentum, liberum descensum septi transversi impedire: potest deinde, aër non renovatus in parvo conclavi, aut miasmatibus infectus; aut hominum frequentiam pollutus, liberæ pulmonum expansioni efficax opponere impedimentum: unde non solum multiplex respirationis læsæ causa intelligitur; verum eodem tempore quanti clinici intersit ægrique ut dignoscatur quænam ex his locum habeat: ut morbo sufficiens efficaxque medela fiat.

Dum liquor vitalis majori cum impetû atque celeritate in et per pulmones fertur, mirum non est ex majori quantitate materiæ secernendæ dato tempore organis eorum secretoriis oblatæ, copiosiores in

iis fieri secretiones et liquidi exhalantis et materiæ mucosæ. Dum idem sanguis in ultima vascula arietat, aut acrimoniâ infectus pulmonum nervos, eos præsertim, qui ad fistulam respiratoriam, ejus ramos et ultimas expansiones bronchiales distribuuntur, distrahit, vellicat atque irritat, magis mirum non est tussim excitari, cum adauctâ mucæ secretionem, qui ita per eam ipsam expectoratur.

Si gaz extricatum, neque per ructus aut flatus eliminatum, consideres, habebis inflationis tympaniticæ rationem.

Si irritationi naturali majori, non tamen maximæ, tubi intestinalis; sphincterum resolutionem adjunxeris habebis eam sedium frequentium atque involuntariarum.

Pustulæ in cute efflorescentes vel materiæ spissitudinem, vel acrimoniam pro causâ productrice agnoscunt: jam autem, ut ante dixi, hîc sanguis inspissatur, nec minus acrimoniâ inficitur: quare exanthematum eruptio nihil absurdi habet aut a re ipsâ alieni.

Sanitatem ægris medecina promittit: verum enim vero ut hoc artis suæ pro-

misso stet clinicus, oportet, ut non solum integram pernoscatur morbi æthiologiam; sed et oppositam essentiæ ejus indicationem, quæ ipsum, non secus ac pìxis nautica navigatores, in curatione cum securitate dirigat; et finaliter ei satisfaciendi apta medicamina.

Ex jam pridem positâ morbi essentiâ indicatio suapte sequitur, quæ in hoc consistit ut fomes existens destruat, symptomatibusque sui juris, quæ, ut morbos secundarios et concomitantes, qui æque ac primarius necant, consideres, occurratur.

Destruitur generatim fomes quinque modis qui sequuntur,

- 1.º Evacuando;
- 2.º Diluendo;
- 3.º Involvendo;
- 4.º Corrigendo;
- 5.º Derivando.

Quod in primis viis materiæ morbificæ degit, evacuatur per vomitum aut per alvum vel per utrumque; quod in massam sanguineam resorbentem est per cutim aut per renes.

Quod evacuationem per vomitum attinet non abs re fuerit animum ad sequentia sedulo attendere.

Vomitorum suo stimulo ventriculum vellicat atque irritat, succos naturaliter in illum confluentes uberius allicit, quæ ventriculi parietibus agglutinata hærent ab iisdem separat, ventriculi perturbat actionem à pyloro œsophagum versus; nausea fit et *vomitus*, sub quo, impetu contenta ventriculi sursum evacuantur, quæ evacuari apta sunt; lenta viscida magis attenuantur et adexpulsionem adaptantur; per validos abdominis concussus viscera abdominalia et thoracica validè agitantur, premuntur, conquatiuntur; dum temporis interea universi corporis muscoli violentè agunt fere omnes cum suspensâ atque productâ diutius inspiratione, non secus ac fit sub omni nixu vel parum violento, unde humores per totum corpus premunter magis; in motum velociorem incitantur, hinc stâgnantia agitantur et licet aliorum impactio inde obfirmari possit; alia attenuantur, resolvuntur et in motum restituuntur, universi corporis vasa meabilia magis redduntur, partium solidarum præsens status immutatur, languor et torpor excutiuntur ut in majorem reactionem incitentur; quando

verò tum à pressione dictâ, tum à continuato actu intestinum duodenum incitatur, aut à particulis emeticis ad ipsum propulsis stimulat, interea bilis utraque et alii succi copiosius in illud urgentur, et in ventriculum, non sub actu vomitûs, se dum ille à vehementiori actione remittit, propelluntur, et dein per os eliminantur. Insuper, licet aliàs intestinorum motus anum versus incitatus ab emeticis immi- nuatur, tamen et à longius actis eorum particulis intestina stimulantur, aut à succis illis vellicantur, ut plerumque alvus simul-moveri soleat.

Præter deducta perspicere hinc datur quâ ex causâ vomitorii actionem sæpè copiosus sudor, largus urinarum, bilis, etc. fluxus subsequantur : quare, dum præter dilutionem etc. stimulus, idque viâ quâ potest brevissimâ, eliminandus indicatur, una patescit, vomitorium non ob unam rationem in hoc morbo esse porrigendum.

Ante vomitorium materiam præparandam præcipiunt alii, alii venam secandam imperant priùs; hoc perraro *Viennenses* observant, nisi inflammatio auturgens aliud

quoddam malum eam exigat. Illud plerumque negligunt sequentibus, iisque justis, ducti rationibus : quia materies plerumque ex integro mobilis est et ad evacuationem parata, aut si quædam solummodo materiæ portio soluta, reliqua vero tenax ac glutinosa fuerit ; id saltem obtinetur, ut quod mobile est ejiciatur, reliquiæ vero ipso vacuandî actione, vi medicamenti attenuante solventeque aptæ redderentur, quo repetita denuo vomitione possent evacuari : is enim est in univ-
sum scopus, ut mali fomes quantociùs, et cum temporis et laborum compendio excutiat.

Ex variis hucusque notis vomitorium exhibendi modis, eum semper prætuli præferoque, in quo in naturâ per epicrasin exhibetur, et ita aut tartari emetici grana quinque, aut radicis epecacuanæ grana quadraginta aut quinquaginta, in unciis duabus aquæ dissoluta porrigo ; ut statim inde absumatur una quarta pars, et si vomitus inde non subsequatur, post quinque minutorum primorum interval-
lum alia quarta, et ita deinceps donec sufficiens materiæ copia fuerit ejecta :
hocce

hocce modo ægris meis porrectum vomitorium votis semper respondit ; quum porro injunxissem vellent ipsi, non multo antè quam instaret vomitus, tepidum camomillæ infusum largo haustû absorbere, tum facilius et majori cum eûphoriâ semper vomere mihi compertum est.

Cum præter fomitem, quem ventriculus alebat, alia ejus pars in intestinis remoraretur, alvus veniebat aperienda, movendaque, in quem finem, statim à vomitorio porrecto, præscribebam decoctum tamarindorum cum cremore tartari et melle : verum cum exinde sedium numerus atque quantitas votis non respondebant, sæviente amplius morbo ex materie evacuandâ, justo longiùs retentâ, pededentim ipsi follicula sennæ maritabam ad unciam semis, dragmas sex, vel unciam unam; formulamque concinnabam sequentem ꝛ. Decoct. tamarindinat fuller (hoc ex passulis et tamarindis constare notum est) libram unam ; concoquendo cremoris tartari unciam unam, infundendo sub finem folliculorum sennæ unciam semis, dragmas sex vel unciam integram : collaturæ addendo mellis optimi uncias duas.

Injungebam ægris ut inde absumerent omni trihorio, vel pro re natâ, omni bihorio vasculum, capacitatis unciarum duarum. Hinc ordinariè alvus fluebat copiosè : dico ordinariè, effectus enim hic desideratus locum semper non habebat : aderat quippe aliquibus tanta intestinorum atonia, ut præscripti remedii vim, pigrè sopita, eluderent : recurrendum ergo erat ad roborantia, quæ tonum restituendo alvum reserare possent : præscribebam igitur decoctum corticis peruviani rubri cum mannâ, vel remedium de *mann* quod ex rheo conficitur et cortice in proportione ut 1 : 3 cum syrupo, et aquâ conveniente. Uno aliove ex his jam motâ alvo, tonoque sufficientur restituto ad prius ex tamarindis confectum revertabar.

Aderat adhuc quandoque aliis tanta tubi intestinalis irritatio, ut ex hâc causâ productus spasmus alvum clauderet pertinaciter, claudendam amplius ; si purgantia præscribendo, irritationi morbificæ, irritationem superadderes artificialem : unde saniori consilio ductus ad diluentia tepida, magnâ quantitate haurienda, quæ nimium constrictas fibras

relaxarent ; at præcipuè ad narcotica confugi, in eâ porrecta dosi ut sensi-irritabilitatem in tantum sopirent, quantum opus esset, ut stimulus morbificus purgantis instar ageret, suo proprio molimine, sui ipsiûs evacuationem producturus. Aderat deinceps uni alterive vasorum hæmorrhoidalium talis infarctus ut materiæ transmittendæ obicem poneret invincibilem : quare mediantibus sanguisugis, ad limbum internum ani applicatis, ea in tantum deplêvi, ut inimico inquilino transitus commodus, facilisque egressus concederetur.

Præter jam dicta, alia purgantia non adhibui, eaque præ cæteris ex antisepticorum classe assumpsi : ut putrescentiæ resisterem, putredinemque, in quantum res ferebat, præcavêrem, quæ morbo adulto, aliâvè methodo tractato supervenire solebat, atque iis supervênit, qui ante meum adventum supremum obivêre diem.

Si materies peccans simul et semel, id est unicâ vice e corpore eliminaretur, mediantibus jam dictis tota indicationis pagina fuisset adimpleta : verum id ita

fiat, toto cælo abest : videtur enim primo expelli quod maximè mobile est, ultimo assumptum, depositumve; dum quod minimè mobile, fortassis ante omnia assumptum, duitiùs retentum, longiorique morâ maximè corruptum, usque in finem remoratur, cum ægri rebus, pessimis futuris ex irritatione et absorptione continuatis atque adauctis; nisi temporis interea, dum prædicta adhibentur, et quæ aliquando per tres septimanas et ultra adhiberi debuerunt, antequam tota, ut ita dicam, cloaca erat exhausta, unâ talia in usum vocentur, quæ suarum interpositione particularum numerosâ, materiem acrem dividunt, à jure suo destituunt atque quasi diluvio submergunt : ergo diluentia in auxilium vocavi, maximâ quantitate haurienda, ex acescentium classe assumpta, et quod fortasse mirêris, pro maximâ parte frigide epota : ut autem ita agerem sequentes me impulêre rationes.

Primo quia decursû morbi labebantur vires, quas, contra *Brownianorum* opinionem frigus sustinet, calida deji-
ciunt.

Secundo quia protracto morbo materies morbifica versus putridinem vergebat, quam acida præcauent, castrant; frigus arcet atque compescit.

Tertio quia tympanitica tubi alimentarii inflatio exitum in mortem, quæ ante meum adventum, justo nimum infeliciter obtinuit, causabat vel saltem concomitabatur atque accelerabat; hanc, frigore nihil efficacius præcavet atque tollit; dum partibus dilatalibus robur, cum robore majorem expansioni resistentiam suppeditat, gazisque dilatantis vires infringit atque enervat: consequenter ægris meis cunctis et singulis suasi cerevisiam tenuem, lac ebutyratum, parte suâ caseosâ orbam; aquam frigidam succo citri acidulatam ad quinque, sex vel octo pocula nictmeri spatio haurienda; quo factum, ut præter dilutionem saburræ materiei in primis viis; id, quod jam in sanguinem resortum erat, etiam per urinæ vias, aut sudores e corpore elueretur, cum febris imminutione sensibili, aut saltem ejus incrementi impedimento efficaci.

Hæc dum ita agebam ab initio, executionisque mandabam exactæ inducias im-

petrabam quidem , morbum vero nec promptè , nec radicaliter expugnabam , qui in melius vergebat hodiè , ruebat in pejus die crastino ; nunc mors , nunc sanitas sese monstrabat eminùs , metui spes , spei metus succedebat continuò : tam incertis , titubando , incedebat morbus passibus ; ut lapsum minitaretur indesinenter.

Stupefactus , anceps hærebam , quid agerem nescius , consilium mutare erat impossibile , *omnia secundum rationem agentis et secundum rationem non evenientibus ; non statim transeundum ad aliud , quam quod fuerat visum ab initio*. In æthiologiâ morbi nihil reperiebam obscuri aut incerti , nihil in indicatione vitiosi ; nihil in applicatione remediorum absoni : attamen eodem ritu continuare non ferebat incertus ægrorum status : timens ne tempus perderem , et cum tempore , curæ meæ commissos ægrotantes ; eò me vertebam ut duriori malo duriorum adaptarem cuneum : purgantium vim intendebam folliculorum orientalium augendo dosim , vomitorium semel iterumve repetebam : videbatur quodammodò de viribus remittere morbus , integrè tamen non recedebat rebellis : consilio

ergo addebam consilium ; ac rem mecum ita constituebam ut sursum simulque deorsum materiem exturbarem peccantem, itaque decocto, de quo antè, adjungebam pulverem radicis ipecacuanæ ad grana quadraginta quinquaginta et ultra, eâ intentione ut *cholera* excitarem *artificialem* : vomebant igitur secedebantque ægri diu noctuque : et ecce pededentim mutabatur rerum facies, spes affulgebat, successus blandiebatur non æquivocus ; medias inter turbas, tanti tumultûs impatiens, mors fugiebat terrefacta ; ac per idem, quod jam expugnatum erat, propugnaculum, lætè rediens, securè intrabat sanitas (a).

(a) In quantum methodus hæc intendenda sit, et ad quantam dosim remedia augenda sint quandoque ; ut in gravissimis casibus scopus desideratus attingatur ; non sine ratione miraberis, at simul, non sine gaudio percipies ; quam mirabiles effectus audax prudentia producere valeat : si, inter numerosas, quas populosa praxis mihi dietim suppeditat, ad observationes duas sequentes, animum adverteris.

Duodecima mensis Augusti anni 1806 in consilium vocor pro viduâ *fransquin*, ætatis 33 annorum, constitutionis nec teneræ, nec robustæ. Corripiebatur hæc febris saburrali putridâ die 9.nâ Augusti ; in sui auxilium vocabat clinicum ordinarium, qui mediante decocto tamariudinato

Simplici hâc methodo, simplicibus his, eo quo dixi modo digestis remediis ægro-

cum infusis folliculis orientalibus morbum aggrediebatur, fomitem morbificum evacuandi causâ, cujus pars una, summoperè fætens expellitur, altera retinetur; morbus crescit eundo, caput gravatur, suboritur delirium, febris întenditur; abdomen dolorificè ad minimum attactum tumet; sedes fiunt involuntariæ, maximè labuntur vires; mors stat præ foribus: proponitur; initur consilium: decocti tamarindinati libræ uni cum infusorum folliculorum sennæ unciâ semî; superadditur horum unciâ una cum pulveris radicis ipecacuanæ scrupulis duobus: ut inde ægra sumat omni bihorio semivasculum; cæteroquin continuatur potus frigidus ex cerevisiâ et vino, continuantur sinapismi; consulitur situs erectus, cubiculi frigus, etc. procrastinatur consilium in diem sequentem: eadem rerum facies, sanè non magis ridens, quin contrâ; periculum in morâ efficaciora petit: decocto præscripto adduntur ipecacuanæ scrupulus unûs et grana tria tartari emetici: ut bihorii loco sumat exindè omni horâ semivasculum: injiciuntur enemata frigida ex decocto corticis et vino rubro; cujus etiam de tempore in tempus scyphus bibitur, labente die nauseat, vomiturit; versus vesperam cholera incipit; de nocte vomit per intervalla, magisque quam antè fluit alvus fætida: postero die minus delirat, minus dolet abdomen; saburræ putridæ cætera symptomata persistunt. Magis prompta adhuc, indicatur expulsio; superadditur ipecacuanæ scrupulus unus: idem usus ac die antecedente; vomit diu noctuque, alvus liberrimè fluit et copiosissimè. Tertio ab inito consilio die, morbus de viribus remittere incipit; spes sanationis redit e longinquo. Die subsequente idem rerum status, eadem indicatio, eadem remedia, a quibus de nocte, nimium fatigata, abstinet. Luce posterâ mens

tos omnes quos tractavi, tractabam vero in universum omnes, pristinæ valetudini

rediit; dolor abdominis discessit unâ cum involuntariâ sedium excretionem, omittitur vomitorium, dein seponitur decoctum, cui subponitur mixtura ex rheo et cortice, sumit ægra decoctum panis cum vino aut cerevisiâ; bibit vinum, bibit cerevisiam; et duodecimo ab inito consilio, decimo quinto morbi, hujûs oblita medicis valedixit et medicaminibus.

20.mâ Novembris ejusdem anni consilium meum petitur pro ægro ætatis præter propter 40 annorum, constitutionis robustæ fortis et elasticæ; morbus inceperat 16.tâ cum febre acutâ continuâ, dolore supraorbitali, appetitû prostrato, linguâ conspurcatâ; anxietate præcordiali, facie rubicundâ, pulsu pleno, non duro tamen; statim a morbi exortu advocabatur dominus *Retira* practicus doctus et prudens; morbi fomitem subducere intendens præscribebat decoctum tamarindinatum cum folliculis sennæ et cremore tartari; pro potu consulebat aquam fontis succo citri acidulatam et edulcoratam saccharo; suadebatque abstinentiam ab omni irritante, stimulante calefaciente, quocumque titulo porrigendo.

18.vâ Cuncta et singula intenduntur et mente alienari incipit: applicantur sinapismi ex fermento panis et confectione sinapios ad pedes usque ad maleolos.

19.nâ Vehementer delirat; superadduntur vesicantia ad suras.

20.mâ Fit consilium. Delirat magis æger, facies magis rubicunda, oculi scintillantes, febris acutissima; sedes involuntariæ, abdomen infarctum, non tamen inflatum, ad attactum dolorificum. Continuat potus acescens tepidus maximâ copiâ hauriendus; libræ uni decocti tamarindinati cum unciâ dimidiâ cremoris tartari et dragmis sex

restitui, id quod gratulabundæ à loci

folliculorum sennæ adduntur pulveris radice ipecacuanæ scrupuli duo, caput nudatur; situs proponitur et evadit verticalis; evitatur cubiculi calor.

21.â Manè minor faciei rubor; continuatio delirii, ne vel minima nausea. Vesperi in consilium accersètur doctissimus ac probissimus medicus dominus *Dekeyzer*, qui pro sagacitate suâ, cum alvus pro ratione morbi vehementiæ non satis fluebat ob inertiam fibrarum muscularium (a) proponit pulveris radice purgantis dragmas duas, addendas remedio jam præscripto, cui dein superadditur ipecacuanæ scrupulus unus: ut inde sumat æger diu noctuque omni hora semi vasculum: capacitatis unciarum duarum.

22.dâ Manè alvus magis fluit; facies melius componitur; lingua conspurcatur amplius; ne vel minima nausea; superadditur radice ipecacuanæ scrupulus unus.

Vesperi. Alvus fætida liberè at semper involuntariè fluit, mitescit delirium.

23.â Manè idem rerum status, nullus vomendi conatus, licet jam ipecacuanæ dosis aucta sit ad scrupulos quatuor, addimus grana duo tartari emetici.

Vesperi. Delirium cessat, prosternuntur vires, augetur sitis, summoperè fætent excrementa alvina, augetur dosis tartari emetici ad grana duo; ita ut decoctum jam contineat ipecacuanæ grana octoginta, tartari emetici grana quatuor; consulitur usus vini rubri.

24.tâ Manè. Maxima prostratio virium, vomituritio nulla, anxietas præcordialis, etc. continuatur idem remedium cum sex granis tartari emetici.

Vesperi. Omnia eadem; ulcerantur pedes præcipuè infra

(a) Absentibus spasmo, herniâ, introtusceptione infarctû hæmorrhoidali, etc.

magistratu , dignissimo eruditissimoque

maleolos , rite suppurant vesicantia , quæ unguento perpetuo reficiuntur ; manet in eodem torporis statu stomachus ad tantam emetici dosim surdus ; augetur dosis tartari emetici ad grana octo ita ut remedium jam constet ex decocto tamarindinato *fulleri* ad libram unam cum uncia dimidia cremoris tartari , folliculorum sennæ dragmis sex , pulveris radice purgantis dragmis duabus , ipecacuanæ granis octoginta , tartari emetici granis octo , cujus idem usus ac antè

25.tâ Manè. De nocte tandem suborta est cholera , aliquoties vomuit et simul per alvum dejecit magnam quantitatem materiæ summè fætentis. Nihil mutatur.

Vesperi. Cholera continuavit de die. Pergitur eodem ritû.

26.tâ Manè. Idem status , idem remedium , idem ejusdem usus.

Vesperi. Cessant sedes involuntariæ , nihil innovatur.

27.mâ Manè. Lingua fit magis nitida. Pergitur eodem tramite.

Vesperi. Suspenditur remedium quietis conciliandæ causâ.

28.vâ Manè. Dormiit æger , ex somno refocillatus , abdomen fit molle ; lingua humida et nitida magis ; minor excretorum fætor.

Eriguntur vires , minuitur febris. Loco ûnius uncie remediï omni horâ ; nûnc suadetur eadem dosis , sumenda omni bihorio , quam ita deinceps continuavit usquè in quartam Decembris , sensim sine sensû evanescente morbo periculosissimo ; post quartam usque in decimam sumpsit mixturam ex rheo et cortice quâ ægrum nostrum egregiè curatum salutavimus.

parocho domino *Kempen* ad me datæ
litteræ (a) testantur abundè.

(a) *A Monsieur J. C. JACOES, Licencié en Médecine,
et Membre de quelques Sociétés savantes.*

Grati estote (*Coloss. 3. 15.*) Soyez reconnaissans.

Monsieur le Médecin, il est de principe, comme nous l'enseigne saint Paul à l'endroit assigné dans mon épigraphe, d'être reconnaissant à ceux dont on a reçu des bienfaits; je dois vous avouer, Monsieur, que les expressions me manquent pour vous témoigner ma reconnaissance, de ce que, par la grâce de Dieu, vos talens et vos soins ont si bien réussi à mon égard et à plusieurs de mes paroissiens, qu'aucun de ceux qui ont été soignés par vous n'a péri par la fièvre épidémique dont nous fûmes atteints, et plusieurs moissonnés avant votre arrivée : ce serait ici, Monsieur le Médecin, l'endroit où je devrais m'étendre sur vos louanges; mais craignant de blesser votre modestie, je me borne à vous renouveler ma reconnaissance, ainsi que celle de mes paroissiens, dont les sentimens me sont connus, et qui vous sont prouvés par le témoignage de notre maire et membres du conseil municipal, qui ont signé la présente avec moi, qui a l'honneur d'être avec la plus parfaite considération,

Monsieur le Médecin,

Votre soumis et dévoué serviteur,

M. KEMPEN, Curé d'Over et Nederheembeek;

A. J. DE MEURS, Maire;

L. VAN BEMDEN,

G. MEYS,

J. J. D. GREEF.

} Adjoints.

OVERHEEMBEEK, ce 6 Mai 1806.

Præter hucusque dicta, *alimenta*, *tegumenta*, *situs*, *aër* peculiarem merebantur adhuc attentionem.

Ergo quoad *prima* oportebat ut cum potulentis hæc congruerent indole : quare decocta olerum mollissimorum, succulentorumque cum pane; eodem onustum lac ebutyratum sine caseo; aut eodem imbutum brodium ex cerevisiâ tenui cum saccharo, omnibus et singulis exhibûi.

Quod *tegumenta* attinet : decumbentes stragulis obruere mihi crimini erat : eos non aut parcius tegere erat imprudentiæ : eos ita obvelare ut nec sudores elicerentur copiosiores, aut beneficientes supprimerentur incautè, erat quod postulabat sagacitas ; temporis interea mihi curæ fuit, ut hæc, ægro e lecto exempto, vel in alio collocato, libero aëri exponerentur dietim, et de tempore in tempus nitida renovarentur.

Quod *situm*, quem pro septimâ re non naturali assumendum esse, judicavi, spectat, dolendum sanè ipsius, in praxi vulgari, tam parvam haberi rationem ; dum certo certius est, ex hâc neglectâ cautalâ, plurima gravissima incommoda

oriri debere, quorum revera medicos pœnitere debet, ipsorum negligentia introductorum; quorumque merito rei judicandi sunt; hominem enim servare potuisse, et non servasse, homicidium negativum sapit: illum in genere consului, in quantum ægrorum status ferebat, præterpropter verticalem: ne ex alio ob copiosius in caput irruentes, ab eodem parcius, refluentes humores, cerebrum obrueretur.

Quod ad *aërem*; salutare id vitæ sanitatisque pabulum, pertinet, eum procurari, quam fieri poterat purissimum; quare excrementa in receptaculum excepta, dein apprimè tecta, quam mox removeri jussi, projicienda in fossam, eum in finem excavatam, statimque novâ terrâ replendam, quæ materiem corruptam obtegendo exhalationem præpediret: præterea, si id admosphæræ tempestas concedebat; fenestras portasque aperire, apertasque tenere jussi, lecti cortinis adductis. Dum autem aëris intemperies, justo frigidior, hanc cautelam respuebat, focum apertum, simul patente januâ, construi præscripsi; ut pavementum semel ite-

rumve per diem aceto frigido aspergere-
tur inculcavi. De gaze muriatico oxige-
nato, quod eodem tempore adhibui, quan-
tocius uberius occurret dicendi occasio.

Simplex hæc tractatio, licet nihil minus
sit quam sumptuosa, attamen impensæ
huic, etiam tenuiori, non sufficiebat an-
gusta communitatis crumena. Quod in-
humanè recusabat inopia, generosè sup-
plevit industria, ac zelus infatigabilis di-
ligentissimi ac vigilantissimi parochiæ
vicarii domini, *Van Assche*, qui pharmacia-
m optimè callens diu, noctuque la-
boravit ut suis ipsiùs manibus medica-
mina præpararet, quæ ex cremore tartari,
longâ coctione præter propter soluto, et
ex folliculis sennæ sub finem infusis cum
sufficiente radicis ipecacuanæ dosi con-
ficiebat, omissis, nimium pro rerum cir-
cumstantiis caris, tamarindis.

Mirum fortasse videbitur me *corrigen-
tium, involventium derivantiumque* nullam,
injecisse mentionem : ast quis *corrigen-
tibus* locus, dum, quæ antidoton agnoscere
nequit, adest indeterminatæ indolis sa-
burra, quam ut jam antè dixi, plerique
malè biliosam vocant.

Involventia adhibendi vix aut ne vix data fuit occasio, et in casibus analogis vix unquam suppeditatur opportuna; nisi jam mucus intestinorum benefaciens fuerit abrasus, aut particulæ morbificæ summoperè acres libere in canali alimentario fluctuent, eum violentissimè irritaturæ: aliàs enim dum velamento suo naturali gaudet tubus intestinalis atque ipsius parietibus materia saburralis adhæret, potius nocere debent; quatenus vi suâ obducente viscosâ corpuscula inter se et ad superficiem internam membranæ villosæ fortius agglutinant, crustam saburralem, quam cæteroquin mobilem reddere oportebat, augent; et contra vim salutarem remediorum evacuantium perniciosè arcent.

Derivantium usus fuit raro utilis, fere nunquam necessarius: methodo enim jam dictâ tam promptè evacuabatur materies morbifica; ut absorbtioni ansa nulla superesset, et si quid fortasse absorbtum fuerat in massam humorum, id ratione potûs copiosissimi, tam efficaciter diluebatur ut vix nocere posset, eoque minus quo cum vehiculo pededentim per cutis
poros

poros aut urinæ vias e corpore eliminabatur.

Cum, dum ita agebam, vix unum sui juris, quod peculiarem postulabat medellam sese manifestarit symptoma, iis opitulandi methodo facile supersedeo.

Ægrotos tam promptè, tam jucundè a diro morbo liberando licet ultimum pensum solutum videri posset; supererat tamen maximi momenti aliud, sanos videlicet contra morbi præmunire aggressum: ergo in contagium destruendum, omnes erant intendendi nervi, eum in finem statim menti occurebat *gasis muratici oxigenati* usus, quod *omnis generis* contagium destruendi virtute pollère ab aliquibus prædicatur; id equidem hisce diebus ita enunciatum legimus ab homine quodam, in re medicâ omnino ignaro, qui dum nihil capit, omnia ignominiosè carpit, et quem vanus scribendi pruritus continuo vexat: verum errorem hunc ridiculum, atque, quâ sanos medicosque malè securos reddit, funestum, statim ab ejus exortu invincibilibus refutavi argumentis: id propter tamen ne credideris me istius usum, quia in omnibus non

prodest, in omnibus rejicere casibus, est suus rei cuique certus finis, ultra citrave quem nequit consistere rectum: quin contra exhalationes istiusmodi sive nitricas sive muriaticas, vapores putridos corrigendi efficaciam gaudere non mediocri, facile mihi persuadeo; nec defui in singulis ædibus, in quibus morbus grassabatur illius tentare periculum, quo non obstante, aëris renovatione accuratâ, sedulâ excrementorum remotione, et id genus aliis de quibus in tractatu meo politico medico de dyssenteria p. 142, etc. ex professo egi contagium serpebat ut antè.

Hisce omnibus et singulis adamussim adhibitis quantumvis scopum desideratum non attingerem, non ea propter cadebam animo: dum rem continuò mecum ruminabam excogitavi tandem utrum res non succederet si pabulum subtraherem quod contagium incendit, eâ ductus ratione, potentiam nocentem, innocentem evadere dum seminium vel prædispositionem tuleris, nec hæsi id consilium quantocyus executioni mandare.

Ex morbi æthiologiâ jam ante stabilitâ fomes latebat in primis viis, quem contagium commovêbat : igitur in quâlibet domo, ubi morbus regnabat, consului omnibus et singulis, qui ægros frequentabant ut mediante vomitorio, purgante vel emetico - cathartico saburram sine morâ e corpore exturbarent, nullus fuit qui consilii hujus utilitatem, quin imò necessitatem non concêpit, et quam mox non adhibuit; et ecce incantamenti adinstar morbus siluit, siletque adhucdum summo omnium, cujuscumque conditionis, incolarum gaudio.

Methodum hanc, ut cum *Sydenhamo* loquar, credendum est, si certa atque expedita fuerit, non ideo à viro docto et prudente repudiatum iri, quod fastuoso remediorum apparatu non se venditet, neque *speciosis* medicamentorum titulis superbiat, quos nullos omnino addidi : quare ? Responderat quondam *Boerhaavius*, quia nihil arti magis exitiale novi : nec injuria : quum vilissimum vulgò remedium nonnumquam supremo in *specificorum* loco habendum sit ; et maximo-perè celebratum ab *ignaris* aut *lucripetis*,

omnino repudiandum ; unum in medicina *specificum* est : *specificum nullum admittere et indicationem adimplere* : porrò id in primis nocere arbitror , quod , dum audito remedii nomine et morbi , exercendæ se pares arti jactent *empirici* , *ignari ad titulos* , *modernive medicinæ* , *chirurgiæ doctores atque professores* ,

Nomina parturiunt , stupidus procumbit hūmi bos.

impunè in hominum perniciem grassantes : donec id hominum genus serius fortasse sapere discat , postquam.

Πολλὰς δ' ἰφίμοις ψυχὰς αἰδοί προΐαψεν. Ἰλαθ' ἔ

Multas fortes animas orco præmisit.

AVIS DE L'IMPRIMEUR.

L'AUTEUR de cette brochure s'occupe maintenant à refondre , corriger , augmenter et traduire en latin ceux de ses ouvrages , dont la désignation suit , lesquels sont écrits en idiôme français , pour les publier collectivement en 2 volumes , sous le titre de *Opuscula varia*.

Tractatus politico-medicus de Dyssenteria in genere, 1784.

Traité de Dyssenterie en général (Cet ouvrage est refondu et considérablement augmenté par l'auteur.) , an 8.

Le Solidisme écroulé par sa faiblesse , ou Réfutation du Système de Brown , an 10.

Le Traité du Scorbut en général , an 10.

De Certitudine in Medicina , methodoque eam in hac acquirendi.

no 6 c pt

